



Hugo Capetus filius fuit Hugonis magni comitis Parisiensis, qui genus suum ad antiquissimam Francorum & Saxonum familiam referebat. Is a parentibus omnibus virtutibus educatus fuit. Cum autem anno 986 Lotharius rex Francorum interisset, atque filius eius Ludouicus primus statim regni anno patrem sequeretur, Hugo ille Francorum regnum inuadere statuit. Erat autem tum Carolus Lotharingiae dux Lotharii regis frater superstes, qui eo tempore Lauduni cum uxore agebat, atque tanquam legitimus haeres regnum recipere tentabat. Verum Hugo statim copiis collectis, urbem eam obsedit, atque proditione Anshelmi eius loci Episcopi in urbem acceptus, Carolum coepit, ac Aureliam in custodiam misit. Itaque Hugo ea uictoria fretus, regnum Francorum occupauit, atque magna prudentia administravit. Hac ratione factum, ut Carolinorum progenies in Francia deficeret, atque Capetorum familia succederet, quae per annos ferè sexcentos ibidem rebus praesidens, etiamnū magna gloria Galliae & Occidentalem Franciam gubernat. Eo tempore in Germania Otto tertius Imperio praesidebat, atque Gregorij quinti pontificis auxilio Imperium a Francis ad Germanos transtulit, ac Electores Imperii constituit. Id quod nouus rex Hugo, sua sorte contentus, facile admisit. Sic etiam factum ut Germania & Gallia auulsæ, & legibus & lingua inter se se plurimum discrepare ceperint. propterea Hugonem illum ex Francis oriundum, ultimum in ea terra prognatum inter illustres Germaniae Heroas connumerare uoluimus, reliquos Galliae scriptoribus persequendos relinquentes. Cum itaque Hugo ille annis undecim optimè rebus in Gallia praefuisse, tandem moriens, regnum suum, anno circiter millesimo, filio suo Roberto reliquit, qui ob literarum studia, cultum religionis, & pietatis amorem inter sanctos relatus est. Robert. Gag. Aemil. lib. 3. Stumpff. lib. 3. Gall.